DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

VOMITORIORUM USU ET ABUSU,

QUAM

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. JOANNE FRIDERICO DE PRE,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, ANATOMIÆ, BOTANICES ET CHIRURGIÆ PROFESSORE PUBLICO, NEC NON FACULTATIS MEDICÆ ASSESSORE ORDINARIO,

PATRONO ET PROMOTORE SUO OMNI HONORIS CULTU SEMPER COLENDO,

IN PERANTIQUA ELECTORALI HIERANA

PRO GRADU DOCTORALI

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS ET PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS,

PUBLICÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBMITTET,

CHRISTOPHORUS LUDOVIC. ROSENHAYNIUS,

ISLEBIO-MANSFELDENSIS,

AD DIEM XXV. MAJI ANNI MDCCXIX.

HORIS ET LOCO CONSUETIS.

ERFORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.



PROŒMIUM.



SApienter & præclarè magnus ille & peritiſſimus naturæ conſultus *Hippocr. L. de Art. Sect.* 7. *quæ proſunt, eò, quod rectè uſurpata fuerunt, proficiunt: quæ vero nocent, ob id nocent, quod non rectè fuerunt uſurpata.* Hujus rei teſtimonium & documentum luculentiſſimum res, quibus ad vitam & ſanitatem homo neceſſariò utitur, & non naturales â *Galeno* appellantur, præbent, quemadmodum enim abuſu aëris, potûs, cibi, motûs, ſomni & quietis maximum damnum & noxam, ita etiam eorum recto uſu multum commodi & utilitatis ſibi homo procurare poteſt. Verùm enim verò nihil magis, quam benè & malè adminiſtrata medicamenta hoc ipſum comprobant, & huic ſententiæ videntur aſſentire; ſicut enim nulla res ex alimentorum claſſe per ſe & abſolutè ſemper ſalutaris & noxia exiſtit, ſed ſemper reſpectu uſûs & abuſus; ita multò minùs

 vir-

virtus & effectus, ut vulgaris Empiricorum sententia, ipsis remediis inest, quæ ad nocendum, si iis abutuntur, æquè ac ad juvandum, si rectus usus accedit, prompta sunt. Si quis verò remediorum usum & abusum rectè cognoscere cupit; is certè non fallaci, sed verâ experientiâ & fundatâ ratione debet esse instructus. Quemadmodum enim temeraria & fallax experientia imperitorum, qui protinus faustum vel infaustum post remedium assumtum effectum ipsi remedio adscribunt, minus ad scopum obtinendum januam aperit; ita Ratio sive Theoria medica, quæ solidas, certas & evidentes causas, cur medicamenta vel noxam vel utilitatem afferunt, explicare, adeoque eorum usum & abusum detegere debet, minus solidas, sed meras opiniones, fictiones, speculationes & probabiles conjecturas, quæ nec explicari, nec demonstrari possunt, profert, minus satisfacit intentioni, ideoquè scitè rursus pronuntiat *Hippocr. l. c. Quod Medicus omnia benè fundatâ ratiocinatione facere debeat, & quod opinio in medicina in crimen vertenda sit, quia pernitiem affert.* Et hoc est, cur ad tam multos errores & dissensiones via sternitur atque panditur, quod unus medicamentum omni laude dignum esse judicat, & quasi ad cœlum attollit, alter vero deprimit, & quasi ad orcum solet damnare. Quem enim latitat? quod multi opiata divinis laudibus celebrare non vereantur, alii vero instar veneni fugere debeant. Quis nescit? quod ilia olim inter venena fuerint numerata; jam vero

ro ex iis Panaceas seu medicinas universales comparare contendunt. Quis ignorat? quod multi Medici cum *Asclepiade* emetica è foro medico velint tollere; sine quibus verò alii nolunt esse Medici. Et multa alia sunt, quæ ob brevitatis studium silentio præterire volumus, & conferri potest *Cl. Hoffm. Diss. de Rat. Præs. univers. Medic.* Nos verò saltim annotamus, quod quidem Vomitoria seu Emetica heroica & divina remedia existant, sed magnâ cautione, magnâque curâ opus habeant, & quod ea, ut maximum commodum; ita irreparabile damnum & perniciem corpori humano inferre possint. Medici verò, nunquam homini nocendi, sed semper & omni studio juvandi officium est. *Quemadmodum enim optimi Oratoris & prudentis omni ratione prodesse reo, imprudentis verò & prævaricatoris causæ nocere;* ut scribit *Antonius apud Marcum Tullium*; ita periti & circumspecti Medici est, omni ratione ægrum juvare, & saltim non nocere. *Imperiti verò ut scribit Hipp. lib. I. Epid. Sect. 2. nimis multa moliendo morbos augent & non profligant, aut retundunt.* Et profectò incredibilis noxa est, quam Medici minus periti in morborum curatione ægrotis inferunt, ideoque non rarò plus periculi a perversis remediis ægris imminet, quàm ab ipso morbo, quare *Crato in Cons. III. Scholt* hunc in modum conqueritur: *Sunt, qui, cum in imperitos Medicos incidunt, importunis atque intempestivis medicationibus graviter adfligantur*, siquidem pharmaca exhibita plus damni illis adferunt,

 quàm

quàm ex morbo esse poterat, cujus causâ medicamentum fuit institutum. Et hæc noxa, quam Medici ægrotis inferunt & quidem præter omnem opinionem & voluntatem suam, non aliam ob rationem, quàm quod salutarem remediorum usum a pernitiali abusu non rectè distinguere sciant. Et itaque non dubito, quin etiam ob hanc ignorantiam tanta noxa, tantaque pernities, quæ multis proh! tristibus & infaustis exemplis satis quotidiè comprobatur, ægrotis per vomitoria inferatur; id verò damnum nullo modo potest præcaveri, nisi eorum salutarem usum & abusum pernitiosum benè intelligere discat. Quamobrem in præsenti Dissertatione de Vero Vomitorium Usu & Abusu agere constituimus; Summum verò Numen cœptis nostris adesse velit, & labori nostro faveat, quem prospero successu ornet, ejus benignitatem demississimo cultu imploramus.

Thesis I.

PRiusquam verò ad nostri propositi tractationem perveniamus, inque nostro instituto progrediamur, & emolumenta ac damna vomitoriorum rite exponamus, utile ac è re fore judico, ut, quid per Vomitoria seu emetica intellectum velimus demonstremus. Ast in prælimine quasi monendum esse duco, quod omnia ea excludamus, & impropriè talia sint, & adjuvantia magis actum vomendi, quæ id præstant titillando fauces, ut linguæ depressio in infantibus, digitus in fauces dimissus & similia mechanica. Quod minus etiam a nobis

 intel-

intelligantur aqua tepida, oleosa & pinguia, quæ si assumuntur, facile nauseam & vomitum excitant, & magis sunt inusitata, quibus directe expedias vomitum, sed si in hunc censum veniunt, nonnisi secundario, impropriè & per accidens id præstant, quia ventriculi orificium superius laxatur, ut tam arcte se non possit claudere, unde liquor assumtus a ventriculo se constringente compressus citius ad orificium sinistrum, adeoque ad gulam quam ad dextrum orificium pervenit & rejicitur. Præterea quod nullus sermo nobis sit de iis, quæ solâ quantitate & copiâ assumta id præstant, quatenus ventriculus copiâ aggravatus tandem insurgit, ut excernat per superiora illa, quæ intus molestant. Ast illa a nobis indigitantur, & vocantur vomitoria seu emetica, quæ subtiliori volatili acri sulphure & sale tunicas nervosas ventriculi & duodeni stimulando agunt, & saburram biliosam viscidam ex ventriculo & primis intestinis ps. duodeno per vomitum educunt. De iis vero agere & sermonem instituere decrevimus, & naturam, indolem & modum agendi vomitoriorum inquirere, & ipsum quoque locum, in quo Emetica operationem & negotium potissimum habent, & perficiunt, determinare ac perspicere constituimus.

Thesis II.

Primum omnium verò, quo veritas dilucide appareat, nos convertamus ad examinandum & inquirendum, in quanam corporis parte & in quibus locis stationem potissimum habeant, & operationem suam medicamenta sic dicta Vomitoria exerant. Maximè omnium verò ventriculum & duodenum vomitoriis affici, dolores, qui perceptiones & sensationes sunt cum magna molestia conjunctæ a violentia Emetici partibus corporis nostri ps. nervosis & membranosis inducta post medicamenta vomitum excitantia sequentes & vomitoria concomi-

comitantes optimè afferunt & comprobant. Tanti enim dolores non raro circa hanc regionem ab Emeticis pſ. fortioribus excitantur, & ſæviunt adeo, ut quaſi has partes inverti, & è ſede ſua convelli conquerantur. Verum enim verò eorum corpora diſſecta antea ſana & robuſta violentia Emetici extincta nos certiores faciunt. Vitium enim, quod vomitoria intulerunt, in ventriculo & duodeno præcipue conſpicitur & ſphacelatio ab inflammatione, quæ a ſpaſmo, quo operantur Emetica, intenſiori & violentiori generantur, in his partibus maxime reperitur. Exinde non aliter concludere poſſumus, quam uti in his partibus maligno pharmaco affectis infauſta; ita etiam fauſta, quæ tantummodo gradu differt, operatio peragitur & celebratur.

Theſis III.

Cum vero maxime Emeticorum negotium in partibus membranaceis ventriculo nempe & duodeno abſolvatur, non minorem harum ſtructura attentionem deſiderat. Ex anatomia vero colligitur eas partes, quæ ex membranis conſtant & conſtituta ſunt, parum ſanguinis vehere, easdem verò multis nervorum ramis fibrisque carneis eo fine inſtructas eſſe, ut & contrahere & relaxare ſe poſſint. Quibus cauſis ad ſpaſmos principio in contractionem conjici poſſunt. Aſt licet ſubſtantia ventriculi pſ. ejus orificii & duodeni ſit maxime nervoſa, & huic duo nervi inſignes inſerantur a ſexto pari per œſophagi latera decurrentes, & a ramo, qui ad pylorum tendit, in duodenum ramuli ſparguntur; tamen hæ partes ſenſu hebetiore pollent, & neque ſalinorum, neque purgantium ſtimulos ſentiunt. At ſiquis conſiderat tunicam nerveam, in qua maxime ſenſatio & perceptio eſt, cruſta villoſa tegi & hoc ſapienti & prudenti naturæ conſilio factum eſſe mihi perſuadeo, ne bile vel alimentis, quæ in his partibus morantur, irritata hæc tunica

con-

continuò molesta sit sanitati, subinde mirari desinit, quod etiam *Hipp.* innuere videtur, dum ventriculum & ego addo duodenum, vocat firmum & non a medicamentis facile exulcerari. Unde quisque intelligere poterit, quod medicamenta, si operatio feliciter succedat, activiora vel volatiliora desiderentur, & hæc sunt maxime omnium emetica, quæ culinæ & non cloacæ sunt destinata.

Thesis IV.

Has igitur partes, in quibus operatio Emeticorum fieri solet, esse ventriculum & duodenum id extra omne dubium positum esse censemus, & firmiter nos statuimus, sed minime annexas partes excludimus, & eas adæquatè affici non negamus. Dicimus enim vomitorium intra ventriculum assumtum & solutum, & ad duodenum vim emeticam medicamenti derivatam vellicando & irritando motum harum partium invertere, & ab eo annexas consensu nervorum simul affici, spasmodice crispari atque contrahi & ita intestina vasa mesaraica, hepar, lienem, pancreas exhauriri, indeque noxios humores elici. Inter omnes enim, qui anatomiæ non ignari sunt, constat, quod partes nerveæ inter se conspirent, unde iste consensus excitatur.

Thesis V.

His consideratis & jam pertractatis res nostri instituti postulat, ut naturam & indolem illorum, quæ noxios humores & vitiosam materiam è ventriculo & annexis partibus per superiora evacuant, & ad vomitum excitandum apta consideremus & examinemus. Nos vero dicimus omnia ea esse indolis salino sulphureæ acris volatilis, quoniam non omnia salia, uti sunt neutra, media, salia etiam acida tali facultate pollent, hæc enim sunt fixioris naturæ

& spiculis crassioribus dotata, & in tenuissimos fibrillarum membranacearum poros non satis penetrant, & minorem ingressum habent, sed multo subtiliora & volatiliora esse debent & requiruntur, qualia sunt sulphurea & acria, quæ motu intestino ætheris stipata longè penetrantiora & intimioris admissionis sunt, unde etiam observamus coctione sulphur & sal volatile, quod maximè vomitum ciere solet ex vegetabilibus in auras avolare & dejici. Quinimò *calore ignis solaris si vitri ℥ ij pulvis subtilissimus ad aliquot septimanas soli exponatur calido, verba sunt Quercet activum principium abigi potest, & licet de eo postea etiam majori dosi propinetur, nullarum virium ad evacuandum & movendum corpus esse futurum.* Id quoque manifestum evadit, quod sulphur antimonii cum partibus mercurialibus seu salinis volatilibus mediante explodenre ⦶tri sufficiente quantitate additâ abigi possit, & omnis vis emetica remanentibus partibus fixioribus statim intereat.

Thesis VI.

Cùm verò videmus Emeticorum vim ab acido infringi & effectum suum sæpius amittere, & ob id quoque *Hippocr. L. 4. Aph. 9. melancholicos, qui humores magis fixos, acidos, austeros in primis viis habent vehementius & quidem per inferiora purgandos præcipit*; idcirco illorum sal ad alcalinam naturam accedere minùs ineptè, sed rectè judicamus, quandoquidem acida sal illud tenue volatile alcalinum figunt, & motum ætheris igneum sistunt. Vitriolum igitur, quod nihil aliud est, quam liquor acidus cum particulis metallicis venereis concretus prædominante acido minori dosi vomitum non movet, ut vim emeticam exerit, manifesto documento, Sal illud volatile naturæ alcalinæ ab acido cicurari.

The-

Thesis VII.

Cum autem purgantia quoque salino sulphureæ indolis sint, & tamen non vomitum movent nisi per accidens, idcirco multum differentiæ, inter purgantia & vomitoria esse, id extra omne dubium versatur, & hanc disconvenientiam in volatilitate, quam præ purgantibus habent majorem, consistere judico. Specificam quidem & propriam differentiam minus admittit *Walæus*; sed negat dari realem & veram diversitatem inter purgantia, ita, ut hoc tantum vomitum cieat, illud solum alvum moveat; nec ullum discrimen hic inveniri posse contendit, quam limitationem quantitatis & additionem corrigentis, ita, ut purgantia quælibet majori dosi data fiant vomitoria & quælibet vomitoria correcta sine omni virtute emetica κάτω purgent. Sed *Cl. Wedelius in Amœnit. Mater. l. 2. Sect. 1. C. 8. Walæo* egregie respondet utrumque hoc assertum fallere, primum quidem exemplo hypercatharseos, quæ toto die accidit, seu purgante medicamento propinato nisi per accidens humorum versus superiora motus eò citet & modificet medicamentum, solum alvus citatur, & ibi fit hypercatharsis. Adde, quod majori dosi propinatio v. g. aloe ad ʒiij. rhab. ad ℥ß. vomitum si quem faciunt, id præstent nauseabundâ potius mole. Alterum vero, quod correctio Walæana sit nulla, putat enim ☿ium vitæ, si addantur crystalli chalybis seu ⊕lum ♂tis correctum esse, omnemque vim emeticam amittere, neque ratio ulla, nec experimentum ritè factum id confirmant, quin potius ⊕lum ♂tis majori dosi datum vomitum ciet, & h. m. mixtum cum ♀ro emetico, cum ☿ vitæ vomitum non prohibet ex nostra observatione. Hæc igitur Walæi sententia victa & expugnata jacet, & nullum dubium est, quin ipse Walæus, si hoc responsum argumentis & experimentis munitum audiat, emeticorum naturam & indolem a purgantibus differre volatilitate, omnino fateri cogatur.

Th. VIII.

Quæcunque igitur tam ſubtilisſimo activo irritante principio inſtructa ſunt, & quorum natura volatilior eſt, quam purgantium; illa ad vomitum movendum, excitandum apta eſſe non immerito judicamus, & ex eorum cenſu optima ſelectiora ſunt: Ex vegetabilibus rad. aſari, rad. hippocoan. quibus aliquid aromatici admixtum. Ex mineralibus & quidem antimonialibus ☿ vitæ rite paratus pulv. Monexii, crocus metallorum & ex hoc paratus 🜿 emeticus Mynſicht. Ludovic. 🜄 bened. Rulandi Syrup. emetic. diſpenſat. Brandenb. 🜿 emet. ex vitro ♁ii paratus qui vehementioris eſt naturæ. Ex ⊕licis; ⊕lum alb. Gilla ſic dicta ⊕lic, ⊕lum cypreum, TR. 🜿ris Helvet. Hæc omnia recenſita ſunt arma, quibus vomitum expediunt Medicorum communisſima, & ab illis magna & inſigni commendatione & laude celebrantur.

Theſis IX.

Perluſtratis & breviter recenſitis quæ ad vomitum ciendum apta & uſui inſerviunt, utile futurum judico, ut uſum & abuſum eorum ante oculos ſiſtam, illumque rationibus & experientia munitis oſtendam. In confeſſo autem & hoc nobile evacuationis genus uſu & fructu non carere, ſi modò prudenter adhibetur, quandoquidem anatomica demonſtratio docet, fundum ventriculi & inferius ejus orificium item duodenum craſsâ admodum & villosâ tunicâ tegi, qua nervea eaque ſenſibilis tunica inveſtitur, unde ſalina, purgantia & quæ clementer alvum provocant, nihil proficiunt, ubi moles acidæ vel bilioſæ materiæ ventriculi fundum, duodenum inſedit. Quippe hæ partes, quod ſenſu hebetiore pollent, non ſentiunt ſtimulos ejusmodi remediorum. Igitur nihil aptius eſt educendis his ſordibus, quæ altius inhærent, quam lenia

eme-

emetica. Illa enim ſulphure & ſale volatili quo conſtant, villoſam tunicam penetrant, & nerveam ſtimulando & irritando facile ſpasmodicam contractionem in his partibus efficiunt, unde ſordes, quæ intra eas deſident, vi remedii expelluntur.

Theſis X.

Cùm autem cruditates, quæ ad malorum ſuccorum generationem faciunt, morborumque plurimorum matres ſunt fœcundisſimæ, optimè ejiciant, vomitoria è ventriculo & duodeno. Hinc in omnibus morbis, quorum cauſa in ventriculo & duodeno latet, & à vitioſa materia & cruditatibus dependet, maximam commendationem Emetica merentur. Unde eorum uſus in febribus intermittentibus non ſatis laude extolli poteſt, & *innoxia*, inquit *Hippocr. vomitio eſt, quæ pituitâ & bile permixta*, qualis eſt in febribus intermittentibus. Illa quoque in Arthritide, vel Podagrâ ante ingreſſum morbi cum fructu dantur & adhibentur, quia primas vias ſordibus, quæ fomitem dolorum conſtituunt, liberant, hinc nonnulli ſingulis Menſibus ejusm. Emeticor. uſum ſvadent, ut *Alpius* facit *in Tr. de Med. Ægypt. pag. 210.* & *Mœb. in Epit. Inſtitut. Medic.* inquit in imminente Arthritde & Podagra vomitoriis quid utilius? & *Mœllenbroc. in Tr. de Arthr. vaga & ſcorbut. C. 8. de Purg.* non ſatis in imminente arthritico morbo commendare poteſt. Ulterius in Dyſenteria, quando nempe primis diebus antequam ſanguinis ſtaſis vel inflammatio circa ventriculum & inteſtina obſervetur, magnam utilitatem promittit. Præterea ibi deliteſcens materia maligna quæ in ſanguinem poſtea translata variolas, purpuram variique generis dolores ſuſcitat. Optime tollitur vomitoriis & quaſi fons horum morborum extinguitur. Ex quo haud temere colligas, non exoptatius præſtantiusque dari præſidium in ejusmodi malis, quorum cruda & bilioſa materia in ventriculo genetrix

 eſt,

est, quam ut leni emetico ille morborum fons exhauriatur, evacuatis diligenter sordibus, ne de iisdem sanguis commaculetur.

Thesis XI.

Sed filum dissertationis nostræ ad horum remediorum abusum nos ducit, qui damnum & noxam non minorem inferre solet. Hoc vero damnum præcipuè observatur, si fortiora & in magna dosi adhibita Emetica, quæ non immerito, ut acriora purgantia mortifera & infamia remedia appellari merentur, offerant, eò, quod semper noxia observata fuerint, dum nempe vires prosternunt, tonum ventriculi destruunt, & lethalem inflammationem inferunt.

Thesis XII.

Multo minus autem illis utilia sunt Emetica, qui genus nervosum debile & ad spasmos proclive habent, ut sunt fœminæ affectui hysterico obnoxiæ, puerperæ, hypochondriaci, quia magis debilitant, & tonum ventriculi destruunt, & labefactant, & spasmodicas crispaturas promovent & augent, anxietates, lipothymias & alia gravissima & periculosa symptomata producunt.

Thesis XIII.

Nihil vero deterius & magis perniciosum est, quam Emeticum iis porrigere, qui ex gravi iracundia ventriculum jam ad inflammationem inclinantem habent, siquidem Emeticum convellendo fibras ventriculi vehementi spasmo, constrictione inflammationem hanc magis promovet, quin imo universum nervosum genus, quod sub omnibus gravibus affectibus valde afficitur ejusmodi vehementi medicina ad spasmos & convulsiones omnium

par-

partium non secus ac si venenum assumtum esset, disponitur. Quapropter si biliosis gravi & diuturniori iracundia tactis, quod experientia frequentissima observatum est ejusmodi medicina vehemens porrigitur, certe rarius mortem effugiunt, nisi statim antispasmodicis demulcentibus succurratur. Cum autem emetica activioris indolis sint, & damnū sanitati imo mortem inferre possint, idcirco cum magna cura & cautione iis utatur, & omni studio contendat, ut abusum fugiat & usu prosit. Et hæc dicta sufficiant. Nihil nunc magis exopto, quam ut dexterrimè accipiatur hic meus qualiscunque conatus, cum ultro agnoscam, quam curta mihi sit supellex. Siquem vero errorem commisi, hunc ipsa humanitas excuset.

Interim DEO gratias quam maximas ago, quod meis cœptis adspirare voluerit.

FINIS.



EST *Rosa* flos florum, ſplendor, reginaquè Pæſti,
In cujus *roſeo* purpura læta ſinu.
Sic decus eſt ingens medicâ fulgere tiarâ,
Ac eſſe imbutum, Pæonis arte virum.
Purpureo *Roſa* bella ſuo veſtitur ab oſtro,
Atquè Satellitio cingitur illa ſuo.
Si *Roſa* per campos expanſo ſyrmate floret,
Defendunt dominam Spinea Serta *Roſam*
Absquè Satellitio nullis hæc floret in hortis,
Stipatur Spinis purpura grata *Roſæ*
Sic *Medicina Roſa* eſt, flos eſt, & gloria Pindi,
Sed ſine ſpinoſo non viret illa choro
Pæonis ars gravis eſt, ſpinas habet illa moleſtas,
Sed modò poſt ſpinas fert ſine labe *Roſas*,
Macte *Roſenhayni*, valido qui corpore magnus,
Major Doctrinâ, maximus artis ope.
Perge tuis poſthac patientibus addere vires,
Et triſtes animos lætificare *roſis*.

ita

Clariſſimo & Doctiſſimo Dno Doctorando Roſenhaynio de ſuperatis in ſtudio medico ſpinis, & obtentis honorum roſis animitus gratulatur & ſe ſe commendat

PRÆSES.

)o(